



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 26. Vtrum moralitas primò conueniat actibus voluntatis, actibus aliarum potentiarum conueniat per denominationem ab actibus voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

14. Ad 1. distinguo maiorem: de facto multi non cogitantes de Deo sub conceptu legis, cui summè est parendum, obligantis ad non committenda furta, homicidia &c. peccant, hæc faciendo, nego: non cogitando de Deo sub alijs rationibus, concedo; & nego consequentiam. Qui committunt furta, homicidia &c. peccant, quia cognoscunt se facere contra aliquam regulam, seu dictamen, cui summè parendum est, obligans ad hæc non facienda; sed hæc lex, cui summè est parendum, est Deus; ergo cognoscunt Deum sub conceptu legis, cui summè est parendum, licet non cognoscant Deum sub alijs conceptibus.

15. Ad 2. nego antecedens, ac dico, quod Deo non existente sub ratione legis, seu dictaminis æterni, ac necessarij obligantis ad parendum legibus humanis, nulla daretur lex humana obligans, adeoque neque posset fieri peccatum contra legem humanam: siquidem eatenus peccamus contra legem humanam, quatenus cognoscimus dari aliquam legem, & aliquod dictamen æternum obligans ad obediendum legibus humanis.

16. Ad 3. distinguo antecedens: Deo non existente, ratio proponeret hominem decere, vt parentes honoret, dedecere, vt parentes interficiat, decentia conformitatis ad aliquod dictamen, cui summè esset parendum, & dedecentia difformitatis ad dictamen obligans, nego; alia decentia, ac dedecentia, transeat; & nego consequentiam. Vt operemur honestè, vel inhonestè, non sufficit, vt cognoscamus actiones quomodocumque nos decere, vel dedecere: ex.gr. si puer cognoscat decere, vt puer induat vestem parvam, dedecere, vt induat magnam, non eo ipso operatur honestè, induens parvam, vel inhonestè, induens magnam, sed requiritur, vt cognoscamus actiones decere, vel dedecere, decentia conformitatis, vel difformitatis cum aliquo dictamine, cui summè est parendum, quod dictamen est Deus: sed Deo non existente, & retenta constantia hypothesis, non remaneret hoc dictamen: ergo &c.

17. Ad 4. nego antecedens, ac dico, quod si Deus non esset etiam sub conceptu legis, ac dictaminis æterni obligantis ad non occidendum patrem, & matrem, nulla esset obligatio non occidendi patrem, & matrem, adeoque cum peccatum debeat esse contra aliquam obligationem, occidere patrem, & matrem, nullum esset peccatum morale, & sic non magis esset peccatum occidere patrem, & matrem, quam occidere pulicem, vel gallum gallinaceum. Si verò supponatur, Deo non existente, dari hanc obligationem non occidendi patrem, & matrem, iam ponitur, Deo non existente sub vno conceptu, remanere Deum sub conceptu æternæ obligationis non occidendi patrem, & matrem, adeoque non retinetur constantia hypothesis.

QVAESTIO XXVI.

Virum moralitas primò conueniat actibus voluntatis, actibus aliarum potentiarum conueniat per denominationem ab actibus voluntatis?

S. Thomas 1. 2. quest. 20. art. 1. & 2.

1. **V**idetur moralitas non primò conuenire actibus voluntatis. Actus enim, quo aliquis vult dare eleemosynam, ideo est honestus, quia honestum est dare eleemosynam: actus, quo quis vult mentiri, ideo est inhonestus, quia inhonestum est mentiri; ergo honestas, & inhonestas primo inest obiectis, & actionibus aliarum potentiarum, secundò actibus voluntatis.

2. Respondeo duplicem esse moralitatem, alteram materialem, alteram formalem. Moralitas materialis est, per quam aliqua actio est conformis, vel difformis legi, adeoque materialiter honesta, vel inhonestata, & de hac non est dubium, quod primò conueniat etiam actionibus potentiarum distinctarum à voluntate, siquidem actiones potentiarum distinctarum à voluntate possunt esse præcepta, vel prohibita, adeoque materialiter conformes, vel difformes legi æternæ, & materialiter honesta, vel inhonestata, eo pacto, quo actio externa dandi eleemosynam est materialiter honesta, & conformis legi æternæ, actio externa furandi est materialiter inhonestata, & difformis legi æternæ. Moralitas formalis est, per quam actio fit liberè, attendendo, an sit conformis, vel difformis legi æternæ, ideoque est laudabilis, vel vituperabilis, & si fiat in statu viæ, est meritoria premij, & peccata: & hæc primo conuenit actibus voluntatis, actibus autem aliarum potentiarum conuenit per denominationem ab actibus voluntatis. Probat: nam moralitas formalis est, per quam actio fit liberè, & attendendo, an sit conformis, vel difformis legi æternæ, ergo primò inest actui, qui primo, & ratione sui fit liberè, & attendendo ad legem; sed solus actus voluntatis primò, & ratione sui est liber, vt dictum est supra quæst. 16. & solus primo fit attendendo ad legem, siquidem dictamen conscientie proponens legem, primò, & immediatè dirigit actum voluntatis: ergo moralitas formalis primò conuenit solis actibus voluntatis. Quia verò actus aliarum potentiarum sunt liberi per denominationem ab actu voluntatis, & eatenus fiunt attendendo ad regulam rationis, quatenus fiunt dependentes ab actu voluntatis facto, attendendo ad regulam rationis; ideo actus aliarum potentiarum sunt formaliter morales, honesti, vel inhonesti, meritorij, vel demeritorij per denominationem ab actibus voluntatis.

3. Ad

3. Ad argumentum in contrarium, patet ex dictis. Probat enim solum actus aliarum potentialium esse primò honestos materialiter, sed formaliter constitui honestos, vel inhonestos per denominationem ab actibus voluntatis.

QVAESTIO XXVII.

Virum actus honesti, & inhonesti sint essentialiter honesti, & inhonesti?

1. Videtur, quod non: primò quia proportionali modo actus voluntatis sunt boni, vel mali, ac actus intellectus sunt veri, vel falsi, vt docet S. Thomas 1.2. qu. 19. articulo primo, in corpore; sed aliqui actus intellectus sunt veri, vel falsi solum accidentaliter, itaut idem numero sint indifferentes ad hoc, vt sint veri, vel falsi; ergo &c.

2. Secundò eodem pacto actus voluntatis sunt boni, vel mali in suo genere, quo res aliæ sunt bonæ, vel malæ in suo genere; sed aliæ res sunt accidentaliter bonæ in suis generibus: ex. gr. homo est accidentaliter bonus, vel malus in genere hominis; actiones etiam externæ sunt accidentaliter honestæ, vel inhonestæ: ex. gr. actio externa dandi elemosynam est accidentaliter honesta, vel inhonesta, itaut eadem numero datio elemosynæ, si fiat ex fine charitatis, sit honesta, si ex fine vanagloriæ, sit inhonesta; ergo etiam actus voluntatis sunt accidentaliter honesti, vel inhonesti.

3. Tertio posito, quod homo honestè exerceat actum religionis, fortitudinis, vel alterius virtutis, Deus potest illi præcipere, vt cesset ab eo actu: nam sicut Deus vt supremus dominus potest nobis prohibere actus externos alioquin bonos, sic potest prohibere actus internos voluntatis alioquin bonos; sed in hoc casu si homo contra diuinum præceptum perseveraret in eodem numero actu, idem numero actus ex honesto fieret inhonestus, & contra diuinum præceptum; ergo &c.

4. Quarto idem actus voluntatis est indifferens ad hoc, vt sit meritorius præmij, & poenæ, vel non sit meritorius: nam idem numero actus liber, & honestus, si fiat à viatore, est meritorius, si fiat à beato, non est meritorius noui præmij; eadem numero peccata Deum blasphemandi, odio habendi &c. si fiant à viatoribus, sunt meritoria nouæ poenæ, si fiant à damnatis, non sunt meritoria nouæ poenæ; ergo idem numero actus voluntatis potest esse indifferens ad hoc, vt sit, vel non sit inhonestus, vt sit, vel non sit honestus.

5. Quintò vt arguit Caietanus 1.2. qu. 19. art. 1. & quæst. 20. art. 6. in comm. eadem numero res potest quidem esse in duplici spe-

cie accidentaliter. eo pacto, quo idem numero homo, si sit sapiens, & iustus, est accidentaliter in specie sapientis, & iusti, sed non potest esse essentialiter in duplici specie; sed idem numero actus potest esse in duplici specie malitiæ moralis, eo pacto, quo actus, quo quis vult furari rem sacram, est in specie furti, & in specie sacrilegij; ergo malitia moralis non est essentialis actui malo; alioquin idem actus voluntatis esset essentialiter in duplici specie malitiæ moralis, quod repugnat.

6. Sextò videtur, quod licet omnis actus bonus sit essentialiter bonus, ac non possit idem numero mutari in non bonum, tamen actus malus possit esse accidentaliter malus, itaut idem numero possit mutari in non malum. Eatenus enim actus honestus est essentialiter honestus, quatenus non solum debet velle obiectum, quod intellectus proponat esse vndique, & omnibus pensatis, honestum, sed debet illud velle, quia vndique est honestum, amando ipsam honestatem; sed ad actum inhonestum sufficit, vt velit obiectum, quod intellectus proponit ex aliquo capite esse inhonestum, & prohibitum, & non requiritur, vt velit illud, quia est inhonestum; ergo actus inhonestus potest esse solum accidentaliter inhonestus.

7. Septimò si dicatur, quod eo ipso, quod intellectus proponit actionem esse inhonestam, & prohibitam, actus voluntatis per suum modum tendendi resistit prohibitioni, & acceptat inhonestatem, contra est, quia non requiritur, vt actus inhonestus per intrinsecum modum tendendi resistat prohibitioni, & acceptet inhonestatem.

8. Octauò si actus inhonestus deberet per suum modum tendendi resistere prohibitioni, & præcepto, omnis actus inhonestus esset formalis contemptus præcepti; quod est contra communem sententiam theologorum, dicentium, aliquando dari actum peccati, & inobedientiæ sine formali contemptu præcepti. Confirmatur: nam ex communi sensu theologorum peccatum aliàs veniale, si includit formalem contemptum præcepti, euadit mortale; sed iuxta hanc opinionem quodlibet peccatum includeret contemptum formalem diuini præcepti, ac legis diuinæ; ergo quodlibet peccatum esset mortale.

9. Respondeo plures esse sententias. Prima Caietani 1.2. quæst. 19. art. 1. & quæst. 20. art. 6. quam sequitur Vasquez 1.2. disp. 35. cap. 1. pro ea citans etiam S. Bonaventuram, Scotum, Durandum, Maiorem, & alios, docet actus voluntatis esse bonos, vel malos accidentaliter, itaut idem numero actus sit indifferens ad hoc, vt sit bonus, vel malus, & possit de bono mutari in malum.

10. Secunda sententia quorundam Thomistarum, quos refert idem Vasquez disputatione citata cap. 1. num. 4. docet, omnes actus bonos esse essentialiter bonos, actus malos ex obiecto directè voluto esse essentialiter